



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 9. Mercatoris in pauperes liberalitas compensata, illiberalitas punita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

prouidebit. Vaticinio euentus respondit. Intellexit enim nobilis quidam Patris charitatem pariter ac necessitatem, tantóq; benignissimæ liberalitatis, in pauperrimo Patriarcha, exemplo permotus, ad eum quadraginta boues, pecudésq; alias octoginta, præter alium commeatum, misit; quibus inopinatò auctus, in plures potuit alédos esse liberalis.

§. IX.

Mercatoris in pauperes liberalitas compensata, illiberalitas punita.

Sic Deus submisit, non tantùm homini Religioso, sed etiam omnis generis hominibus extra Religionem decentibus, per Religiosum, festivas epulas. Et quod mirum est, qui ad eum confluebant, non ad dandam, sed ad accipiendam eleemosynam confuerunt videbantur; cum tamen non accipiendo, sed dandi animo venirent, qui non ipsi erant indigentes. Illud etiam illustre est. Complutus erat quidā pius ac copiosus mercator, Matthæus Pontanus, apud quem acceptas elemosinas Franciscus deponere solebat, ut reciparet, si proximi id indigentia postularet. Quodam diffcili anno, & penuria rerum ingenti pressis hominibus nosocomiōq; infirmis redundante, tantùm à thesaurario suo argenti

In l. 2.
c. 4. vitæ
Francisci
à Puer
I E S V.

argenti acceperat, vt non solùm fiscum proprium exauriret, verùm etiam mutuum à mercatore peteret, fide Pueri IESV, in cautionem accepti, datâ. Omnia mercator in rationes inferebat diligentissimè. Tandem reperit se Franciscus millenorum ducatorum debitorem; nec territus, in dies debita augebat, mercatór q; petenti diu dabat; donec, mala cogitatione animum subeunte, vnde soluēdo esset, cœpit dubitare. Redeunti ergo atque iterum petenti Francisco dixit: Vnde tot nomina expunges, Frater? quis tibi tantam pecuniæ summam promisit? Nemo, inquit, Franciscus, sed habeo bonum, fidejussorem Puerum I E S V M; qui me non deseret. Hoc responsum vbi ad amicos retulit mercator, derisi habitus est, vt qui se verbis fineret lactari, propriámq; familiam ac liberos in extremam cōijceret necessitatem, eique argentum suum concrederet, cui, præter peram, fundus nullus erat. His talibus sarcasmis exacerbatus Matthæus, redeunti, pro mutuo, Francisco, negavit se deinceps quidquam daturum; datis vtiq; iam abunde depauperatum despoliatumque. Abiit vacua manu Franciscus, & Puer IESV necessitatem suam exposuit, à quo missus est, alium pa-

S 4 tronum

tronum quærere. Quæsiuit, & inuenit alium mercatorem Rodricum Nunnez, à quo æquè ac à priore omnia liberaliter accepit. Intervim ex quo à Matthæo repulsus est Franciscus, cum Francisco etiam omnis fortuna abijt. Nihil in taberna amplius vendebatur; nec, quæ debita fuerunt, extorqueri poterant, silebat negotiatio, cessabant lucra, nulla in domo prosperitas, nulla in domesticis sanitas. Ipse Matthæus inquietus & conturbatus, quasi mente videbatur excidisse. Usq; adeò damnosum est, lucro nimis inhiare; & parcum esse erga Deum, est opes profligare. Quod cum agnosceret Matthæus, Franciscum iam vltro conuenit, dixitq;, vt, solito more, pro mutuo, ad se rediret, se & sua omnia deinceps fore in illius, & Pueri IESV potestate. Quod vbi factum, & lucrari mercator iterum cœpit, & pauperum procurator, acceptis largissimis eleemosynis, intra mensem, debitum omne dissoluit, adeò, vt etiam centum coronatorum summa superesset. Videant hic mercatores, discant magnates, unde possint opulescere; neque cum nostris Politicis existiment, se rem aucturos, dum minunt sumptus in pauperes & Ecclesiam faciendos. Discant hinc ipsi pauperes, Dei curam etiam

etiam ad eos alendos extendi , qui extra reli-
gionem religiosè viuunt. Quisquis Deo viuit,
Deo fidat ; cuius verbum est : *Si volueritis, Isa. i. 19.*
& audieritis me, bona terræ comedetis.

§. X.

Principum promissa, in Deo stabilienda.

Ne longum faciam , complura alia omitto ,
quæ Francisco huic , in hoc genere , accide-
runt ; illud tribus verbis perstringam potius ,
quàm dicam , eum , si spem suam in Principi-
bus posuisset , nec totum se in Dei manum
tradidisset , nihil impetrasse opis . Quare cum
Sabaudus , cum Catharina Austriæ infantif-
fa matrimonium initurus , Madritum veni-
set , & eodem venienti Francisco multa pro-
misisset ; Madrito discessit , Francisci obli-
tus ; qui iam Complutum redierat , pecu-
niæ accipiendæ cura alij demandata . Quare
mœstus Franciscus , ad Puerulum suū IESVM
confugit , atque in sinum eius querelas de-
posuit , didicítq; , ideo nihil se accepisse , quia
carnem brachium suum posuisset . Quàm
primùm ergò posthac constituit , in solo Deo
fiduciam omnem collocare , adfuit à Sabau-
do cursor , qui liberali sanè eleemosyna in-
pauperes assignata eum subleuauit . O mor-
tales , quid speratis in Principibus ! in Deo

S 5 sperate,